DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VERO ORTV

MALI HYPOCHONDRIACI ET HYSTERICI

QVAM

INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,

FACVLTAT. MEDIC. SENIORE, REGIORVMQVE ALVMNORVM EPHORO,

IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,

REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.

ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XXI. APRIL. A. R. S. CIↃ IↃ CCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GVILIELMVS SONNENMAYER

PAPPENHEMIO-FRANCVS.

HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

Pathol. spec. 497,76

Mob spec 1833

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372174264/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

A SON

EXCELLENCE ILLUSTRISSIME

MONSEIGNEUR

FREDERIC FERDINAND

COMTE

ET PREMIER MARECHAL HEREDITAIRE DU ST. EMPIRE,

COMTE REGNANT DE PAPPENHEIM,

SEIGNEUR DE ROTHENSTEIN, CALDEN,

ET BELLEBERG &c.

CONSEILLER INTIME DE SA MAJESTE IMPERIALE

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372174264/3
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Monseigneur!

La profonde Veneration dont je me sens penetré pour V. E. et les faveurs gracieuses, dont elle a daigné combler en tout tems feu mon pere, et tous mes parens jusqu' à moi en particulier, sont des titres trop solennels et trop justes, pour ne pas autoriser la hardiesse, que je prens de rendre aux qualités eminentes, qui brillent en V. E. un hommage public et tres respecteux, en Lui consacrant tres humblement les prémices de mes Etudes academiques. Heureux, si j'ose me flatter, qu'il plairoit à V. E. jetter un regard favorable sur cette foible production de mes veilles, parce qu'elle roule sur un sujet, qui paroit n'être partout à fait indigne de l'inclination distinguée, dont V. E. a

toujours bien voulu honorer toutes les ſciences, qui ſe raportent au Bien et à la proſperite du genre humain. Dans l'impuiſance, où je me trouve de reconnoitre jamais, auſſi parfaitement que je le ſouhaiterois, les obligations infinies que j'ai à V. E., je me ferai un devoir ſacreé de tâcher de me rendre digne de la continuation de ſes hautes graces, par les ſentimens les plus reſpecteux pour un Protecteur ſi genereux, et par les voeux les plus ardens, que je ne ceſſerai jamais d'addreſſer au Ciel pour la proſpérité inalterable de V. E. et pour celle de toute SA Maiſon Illuſtriſſime, étant avec le plus parfait devouement, et le plus profond reſpect

Monſeigneur!
de V. E. Illuſtriſſime

le trés-humble et tres obeïſſant ſerviteur
et tres-ſoumis ſujet
Jean Guillaume Sonnenmayer.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372174264/6
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VERO ORTV MALI HYPOCHONDRIACI ET HYSTERICI.

PRAEFAMEN.

In tanta, noſtra aetate, mali hypochondriaci et hyſterici frequentia, de vero illius ortu differendi occaſio latere nequit. Nolui tamen multus eſſe in iis, quae, poſt edita recentiorum Medicorum ſcripta, vnanimi fere

fere conſenſu probantur, defenduntur. Ad actionem itaque cauſſarum remotarum, et quorundam ſymptomatum ortum maxime attentus fui, perſuaſus, haec non leui premi difficultate.

Quae vero cum intelligi nequeant, niſi ſumma ſaltim, de vera mali hypochondriaci et hyſterici eſſentia et natura, momenta expoſita ſint. Hanc in prima Sectione leuiter adumbrare ſtudui; ſecundae et tertiae Sectioni actionem cauſſarum et ortum ſymptomatum mali hypochondriaci et hyſterici deſtinaui; in Sectione quarta practica *nonnulla* adiiciens.

Atque haec praemonenda eſſe duxi, ne Lectores forſitan a me planam huius mali tractationem exſpectent.

SECTIO

SECTIO I.

DE

SEDE ET NATVRA MALI HYPOCHONDRIACI ET HYSTERICI.

§. I.

Qui de ortu mali hypochondriaci et hysterici differere sibi sumit: illum de modo, quo e suis caussis illa mala profluunt, sollicitum esse oportet. Iam vero id constare nequit, nisi eorum caussae cum essentia, quae praedictis malis tribui debet, conferantur. Quare in nostra, quam suscipimus, disquisitione, vera mali hypochondriaci et hysterici essentia et natura proponi ante omnia atque stabiliri debet. Sicuti vero, in quouis morbo eruendo, symptomatum exacta consideratio viam, ad morbi naturam intelligendam, pandit: ita mali etiam hypochondriaci et hysterici natura omnium optime ex symptomatibus eruetur. Ne autem odiosa in ea re vtar repetitione, cum tot celeberrimi Viri, et inter hos maxime WHYTT, in recensendis illis symptomatibus occupati fuerunt: missis, quae minus e re nostra sunt, reliqua breuiter strictimque, experientiae ductu, considerabo.

§. II.

Atque *primo* quidem malum hypochondriacum eius est naturae, vt totum genus neruosum afficiat, cum nulla sit pars neruosa, quae eius tyrannidem, quamuis pro diuersitate subiectorum et mali ipsius varia ratione, experiri non possit. *Cerebrum* pati, docent: vertigius, capitis dolores, deliria, conuul-

ſiones, catalepſis, tetanus, memoriae atque imaginationis ſtupendae laeſiones, agrypniae, ſomnolentia, ſomnus perturbatus, quae malo hypochondriaco et hyſterico accedere ſolent. Organon *viſus* afficitur; cum vertigines, viſio duplex, coecitas nimiaque eius organi ſenſilitas et dolores, cuius rei exemplum WHYTT (l. c. pag. 235.) affert, ab hypochondriaco aeque ac hyſterico malo producantur. *Aures* ſuſurru, tinnitu, ſurditate aliisque auditus deprauationibus laborant. Neque minus *odoratus* peruertitur (WHYTT l. c. pag. 76.), *linguaque* interdum bene a corporibus, quae alii horrent homines, afficitur. Sed *cutis* quoque patitur dolore, pruritu (GAVBIVS Inſt. path. med. §. 681.), nimia ſenſilitate (HALLER Element. phyſiol. T. V. pag. 95.), tactu peruerſo (*Nou. Act. N. C.* Tom. III. p. 348. ſeq.) Quodſi nunc his addideris anxietatem, debilitatem magnam et appetitum vagum peruerſum, incommoda a cibis quos alii facile ferunt, febrem neruoſam, quam WHYTT obſeruauit et ſimilia: Totum genus neruoſum, varia et multiplici ratione, a malo hypochondriaco et hyſterico affici poſſe, ſine dubio concedes.

§. III.

Quae neruos inter et fibras muſculares ſympathia intercedit, eam, vt multa alia, ſic malum etiam hypochondriacum et hyſtericum declarat; cum fibrae muſculares in eo malo aeque, ac neruorum ſyſtema, afficiantur. Spaſmi varii et tremores, conuulſiones, tuſſis, cordis palpitatio, animi deliquia, paralyſes, pulſus miris modis variantes, tetani, haec, inquam, omnia

quam

quam valide muſculorum ſyſtema in iſtis malis patiatur, manifeſto teſtantur.

§. IV.

Quamquam autem malum hypochondriacum et hyſtericum ſuam in totum neruorum et fibrarum muſcularium ſyſtema vim exercet et tyrannidem, prout ex hactenus dictis apparet: attamen maxime et prae ceteris partibus in primas ſaeuit vias. Obſeruamus enim, 1) prima frequentiſſima et grauiſſima fere incommoda, quibuscum ſolet iſtud malum ſtipatum incedere, circa primas ſeſe vias exſerere; 2) reliqua incommoda, quae aliis partibus inſunt, proximius aut remotius vitiis primarum viarum deberi, quod WHYTT eleganter ſatis docuit; 3) demum nil magis mali hypochondriaci et hyſterici ortui fauere, quam vitia primis inducta viis. Quae cum ita ſint, atque reliqua huius mali ſymptomata, quorum omiſi recenſionem, ex allatis deduci debeant: patet, *malum hypochondriacum et hyſtericum in toto equidem genere neruoſo et fibrarum muſcularium ſyſtemate reſidere, maxime tamen primas occupare vias.*

§. V.

Atque haec de ſede horum, quae diximus, malorum. Quonam vero in vitio corporis vera illorum eſſentia et natura ponenda? Vidimus (§§. II–III.) comparere in malo tam hypochondriaco, quam hyſterico, phaenomena, quae actionem neruorum et fibrarum muſcularium auctam, imminutam, deprauatam eſſe ſuadent, et monuimus (§. antec.), reliqua, quae his malis inſunt, quam optime exinde deduci poſſe. Obſeruamus porro, ſubie-

cta ſenſiliora ad concipiendum, quod tractamus, malum val dopere eſſe prona; remedia, quae neruina ſunt, vt cortex, opium, caſcarilla, amara, ſimilia, conducere, nocere contra ea, quae grauius genus neruoſum afficiunt; nil denique magis paroxyſmos huius mali rouocare, quam ſi cauſſa, quae commouere poteſt neruos et fibras muſculares, admittatur. E quibus conflatur, morbum, quem malum aut hyſtericum, aut hypochondriacum nominamus, in aucta et deprauata totius quidem generis neruoſi et muſcularis, maxime tamen primarum viarum, ſenſilitate et irritabilitate conſiſtere. Dicimus vero, *auctam* eſſe ſenſilitatem et irritabilitatem, quando ſtimuli, qui in ſanitatis ſtatu parum aut nil efficiunt, validos producunt motus; *deprauatam* autem nuncupamus, ſi partes ſenſiles et irritabiles a ſtimulo quodam non ea, ac fieri debet, ratione afficiuntur, v. g. quando fauces, ob internam neruorum conſtitutionem, aquoſa non ferunt, dura contra ea corpora facile, vt in hydrophobia, aut ventriculus, vt in hypochondriacis et hyſtericis, mollia non ſine graui incommodo concoquit, dum a duris nihilominus bene ſe habet.

SCHOL. I. Non mirabuntur Lectores, me malum hypchondriacum et hyſtericum in praeſenti Tractatione coniungere. Exploſâ enim ſententiâ, quae ſtatuit, hyſtericum malum vteri tantum eſſe affectionem: cum aliis cenſeo, vtrumque malum eiusdem farinae eſſe. Differentia ſexus gradualem quidem et a diuerſitate partium pendentem, minime vero eſſentialem diuerſitatem inducit.

SCHOL. II. Cum, quae malo hypochondriaco et hyſterico accedunt, ſymptomata non auctam et tantum deprauatam, ſed etiam imminutam ſenſili-

ſilitatem et irritabilitatem prodant (§§. II–III.): videri poſſet, ac ſi haec non minus, quam illa, in contenta iſtorum malorum definitione attendi debeat. At enim vero, quae obſeruantur, tamquam imminutae ſenſilitatis et irritabilitatis effectus, v. g. caecitas, paralyſes, ſyncope &c. demum ab auctis aut deprauatis hisce potentiis dependent. Earum itaque decrementum omitti poterat.

SCHOL. III. Malum hypochondriacum et hyſtericum vel extra paroxyſmum conſiderari poteſt, vel in ipſa exacerbatione. Si prius: Morbus eſt, cuius eſſentia in aucta et deprauata omnium ſenſilium et irritabilium, maxime tamen primarum viarum, actione conſiſtit. Si poſterius: Congeriem ſiſtit ſymptomatum ex certa partium conſtitutione oriundam.

SECTIO II.

AETIOLOGIA MALI HYPOCHONDRIACI ET HYSTERICI.

§. VI.

Cum auctae et deprauatae ſenſilitati et irritabilitati debeatur malum hypochondriacum et hyſtericum (§. V.), non poteſt cauſſarum, e quibus profluit, modus agendi recte perſpici, niſi de iſtis prius neruorum et fibrarum muſcularium vitiis diſſeratur. Atque primo quidem, quod *auctam ſenſilitatem* attinet, triplici illa ratione et cauſſa produci poteſt. Namque I. quando *genus neruoſum interne ita mutatur, vt faciliores tremores concipiat.* Quamuis ſcilicet neruorum natura adeo obſcura ſit, vt eorum actiones vix cum certitudine definiri queant; videntur tamen ex ſuſcitatis in genere neruoſo tremoribus, pro ratione rerum, per ſenſus cognoſcendarum, diuerſis, omnium optime explicari poſſe. Iſti vero tremores nec ſoli

fluido nerueo, nec ſoli etiam medullari neruorum ſubſtantiae adſcribi debent (*illud* enim analogia, *hoc* mollities dictae ſubſtantiae non permittit), ſed vtrique potius neruoſae naturae momento dandi ſunt, ita quidem, vt inepta in ſe, ad concipiendos tremores, neruorum ſolida ſubſtantia, admixto fluido nerueo apta ad id reddatur. Statuit ſic fere *Illuſtr.* LVDWIG (*Inſt. phyſiol.* §. 310. p. 112–113.). Quodſi vero hoc: ſequitur, ſenſilitatem augeri, quando interna illa neruorum conſtitutio, qua concipiendis tremoribus pares ſunt, increſcit, atque ideo *quoad nerueum liquidum* ſubtilitas, *quoad medullarem* vero *neruorum ſubſtantiam* glutinis mobilitas incrementum nanciſcitur. Nonne id comprobatum videmus in hominibus ſanguinei temperamenti, quorum ſummam ſenſilitatem nemo non concedet? Tenuitas ſanguinis, quae iſti temperiei adſignari debet, ſubtilius non ſolum fluidum nerueum, ſed mobilius quoque ſolidorum gluten promittit. II. Quando *extra neruum cauſſa adeſt, qua aut tenditur neruus, aut irritatur.* Quae enim irritant neruum, eo facilius eoque grauius irritant, quo plura ſunt puncta, in quibus irritamenta neruum contingunt, atque hinc tenſio nerui, quae puncta contactus auget, ſenſilitatem maiorem efficit, ſicuti eam in partibus, quae inflammationem patiuntur, deprehendimus. Quando etiam irritamenta neruorum corpori iam inhaerent: fit inde, vt, nouo accedente, facilius neruus irritetur: Exemplum praebent cholerici, maniaci, qui, cum ſanguinis orgaſmus, tamquam irritamentam, iam adſit, leui accedente cauſſa in enormes abripiuntur ſenſationes, motusque in-

de-

de pendentes. III. *Inconsuetudo irritamenti.* Insueta enim minus feruntur. IV. *Si deficiant, quae neruos alias defendunt, ne nimium ab irritamentis afficiantur.* Mucus, tegmina, si deficiant, huc pertinent.

§. VII.

Longe difficilius eruuntur *deprauatae* seu *alienatae* sensilitatis caussae (§. I.). Huc tamen spectare videntur: I. *Status sensorii communis.* Notum est STVRMII experimentum, quo decussati digiti vnum globulum nobis indicant, tamquam duo essent (HALLER l. c. Tom. V. pag. 95.). In casu, quem *Illustr.* EBERHARDVS (*Nov. Act.* N. C. l. c.) memorat, hypochondriaco, paroxysmo affecto, omnia, et vel proprii corporis partes, duplicia comparebant tactu, licet visu vnicum tantum esse obiectum cognosceret. In vertigine omnia moueri videntur, licet quiescant. Nonne in his similibusque deprauatae sensilitatis exemplis status sensorii communis accusari debet? Anima nempe mutationes sensorii communis proxime quasi sentit. Vt vero recte sentiat: mutationes sensorii iusto ordine, iusto gradu, iusto discrimine, rectaque ratione perfici debent, ipsumque commune sensorium alienis motibus immune esse oportet. Quodsi horum vel vnicum deficiat: deprauata exinde potest sensatio oriri. II. *Maior sensilitas.* Deprauata enim sensilitas in eo consistit, vt res quaedam non ea, ac in sanitatis statu, ratione percipiantur. Nunc vero maior sensilitas, cum actionem stimulorum augeat, facile id efficit, quod oculorum nimis sensilium exemplo maxime patet. Docet quoque experientia, de-

pra-

prauatam ſenſilitatem ad auctam plerumque accedere, huiusque cauſſas illam producere, vel ſola id docente hydrophobiae ſpecie, quae ab inflammatione faucium producitur. III. *Torpens ſenſilitas*, fere vt nimis aucta, deprauatam efficit. Minuit enim ſtimulorum actionem adeo, vt mens facile excitatam ſenſationem male percipiat. Hinc viſio duplex a paralyſi oculi (*Celeberr.* MVZELII *medicinische und chirurg. Wahrnehm. zwote Sammlung*, pag. 94. ſeqq.). IV. *Tenſio neruorum mutata.* Pro varia enim neruorum tenſione, differunt quoque ſtimulorum impreſſiones. Quare, ſi tenſio illa mutetur, deprauata inde ſenſibilitas prouenire, poteſt. Exempla habemus, vel in ipſo ſanitatis ſtatu. Non omnes nerui, ab vna eademque re, eadem etiam afficiuntur ratione. Aërem fert aſpera arteria, ſanguinem cordis nerui, vtrumque male fert ventriculus. Videtur ergo, in ipſo ſanitatis ſtatu, varius in neruis tenſionis gradus obtinere, vt nerui diuerſimode a ſtimulis affici queant; licet non negem, huius phaenomeni plures cauſſas exiſtere; nam, quod HALLER monuit, tegminum diuerſitas multum hic valet. V. *Laeſa imaginatio*, vt in deliriis. Quorſum exempla referri poſſunt, quae TISSOT (*Rede von der Geſundheit der Gelehrten*) collegit atque exinde deduxit.

§. VIII.

Sequeretur nunc, vt cauſſas auctae et deprauatae irritabilitatis perſtringerem. Pauca tamen hic ſufficient. Quae enim vis irritabilitas vocatur, a neruis non ſolum ex parte pendet, ſed etiam dirigitur. Quare, hoc reſpectu, praedicta irritabili-

tatis

tatis vitia, ſenſilitatis laeſionibus ſimilibus (§§. VI–VII.) reſpondebant. Praeterea actio irritabilitatis in fibris muſcularibus ea perficitur ratione, qua in nerueis ſenſatio. Quare iterum auctae et deprauatae ſenſilitatis cauſſae ad auctam aut alienatam irritabilitatem, quantum id diuerſitas fibrarum neruearum et muſcularium permittit, applicari poſſunt. Nil ergo ſupereſt, quam vt nunc, his praemiſſis, de cauſſis mali hypochondriaci et hyſterici diſſeramus, modumque oſtendamus, qua earum quaelibet agit, vt effectus determinatus producatur (§. V.).

§. IX.

Et *primo* quidem, ne vllum fere datur vniuerſale maſſae ſanguineae vitium, quod malo hypochondriaco et hyſterico inferendo non par eſſet. I. Copioſa ſanguinis abundantia ſ. *Plethora.* Repunt per neruos, docente id Anatomia, vaſa ſanguifera. Quodſi nunc a Plethora haec nimium diſtendantur: fieri hinc poterit, vt tenſio neruorum increſcat, ſenſilitas partium et irritabilitas alteretur (§§. VI. ſeq.), et malum hypochondriacum et hyſtericum producatur (§. V.). Hinc toties a ſuppreſſis haemorrhagiis naturalibus mala illa enaſcuntur, hincque etiam a neglectis artificialibus eorum paroxyſmus recrudeſcit. II. *Defectus ſanguinis.* Nam excedentes haemorrhagiae, Veneris abuſus, curae et ſimilia, horum malorum cauſſae ſunt. Defectus namque ſanguinis et humorum corpus debilitat; debilitas autem corporis humorum tenuitatem infert (§. VI.). III. *Spiſſitudo ſanguinis atrabilaria aut pituitoſa. Illa*, tum ſtaſes in neruorum vaſculis, hincque tenſiones, fere vt de plethora di-

cimus, in neruis producit; *haec* viſcido replet primas vias, potenti neruorum irritamento (prouti epilepſia, ſaepe abinde proveniens, teſtatur), quo ipſo ergo ſenſilitas augetur (§. VI.). III. *Tenuitas ſanguinis nimia.* Quae gluten mobilius, fluidum nerueum tenuius reddendo ſenſilitati augmentum addit (§. cit.). Hinc in teneris inque debilibus ſubiectis malum hypochondriacum et hyſtericum adeo frequenter occurrit. V. *Motus ſanguinis lentus.* Staſes enim producit, in infimo potiſſimum ventre; vnde tenduntur fibrae nerueae. VI. *Motus acceleratus ſanguineae maſſae.* Debilitat enim corpus et neruos; defectum ſaepe boni ſanguinis infert; non raro ſtaſes humorum producit; auget neruorum et fibrarum muſcularium irritamenta; accedente denique rarefactione ſanguinis, ſeu orgaſmo, neruorum praeternaturali tenſioni fauet. III. *Acrimonia ſanguinis.* In ſe enim ſpectata irritat neruos et fibras muſculares (§§. VI–VIII.). Dein *vel* cum ſpiſſitudine, *vel* tenuitate ſanguinis nimia coniungitur. VIII. *Congeſtio ſanguinis ad primas vias.* Tendit enim neruos, irritat eos ſimul fibrasque muſculares. Quo intelligitur: cur menſium et haemorrhoidum fluxus, cur ſcirrhi et alii abdominis tumores, vita etiam ſedentaria, compreſſio abdominis, praedicta mala efficiant.

§. X.

Nil dein magis mali hypochondriaci et hyſterici ortui fauet, quam iſta neruorum conſtitutio, quae teneritudinis nomine venit, quando praecipue primarum viarum neruos afficit. Coliaeſio ſcilicet ſolidorum duplici ratione *imminui* poteſt. Vel

enim

enim cum faciliori ruptura coniuncta est, vel sine ea existit ita, vt validissimam distensionem, sine ruptura, partes perferre queant. *Illa* teneritudo, *haec* laxitas vocatur. Teneritudinem neruorum comitantur: Tenuitas humorum, aucta sensilitas, defectus interdum, saepe abundantia humorum. Vnde patet, quam valida sit, in malo hypochondriaco et hysterico generando, caussa. Efficiunt autem neruorum teneritudinem: Sanguis tenuis, humorum defectus, acrimonia, motus febriles, vigiliae diutius protractae, meditationes profundiores, morbi varii, neruos debilitantes, praegressi, cerebri ictus, contusiones et alia, quae itaque omnia huc referri debent.

§. XI.

Vitia autem primarum viarum eminent inter has caussas. I. *Earum debilitas*. Haec tenuitatis humorum caussa non raro existit. Quo arctius enim chyli particulae per actionem primarum viarum coniunguntur: eo facilius hinc densitas sanguinis effici potest. Quo leuior autem chylosas inter particulas cohaesio est: eo tenuior etiam paratus inde sanguis redditur. Nunc vero si debilitate laborent primae viae, minore cum robore sese contrahunt, quo fieri potest, vt chyli particulae non satis arcte inter se cohaereant, hincque, ob sub sequentem humorum tenuitatem, malum hypochondriacum et hystericum enascatur (§§. IX. X.). Verum haec ipsa debilitas vitio quoque sauet, tenuitati plane contrario, visciditati nempe chyli. Quando nempe, licet robur primarum viarum fractum sit, viscidiores cibi assumuntur: minus valenter concoctionis vires viscidi

reſiſtentiam ſuperare poſſunt; immutatum ergo relinquitur, degenerat in mucum viſcidum, qui *vel* irritando neruos primarum viarum (§§. IV. IX.), *vel* flatus, qui tendunt neruos primarum viarum (§. VI.), producendo, cauſſa mali hypochondriaci et hyſterici euadit, eo potentior, quo magis ſua ipſamet viſciditate vaſorum ſecretoriorum oſcula oblinit, ſecretionem liquidorum impedit, ſicque viſciditatem magis magisque auget. Debilitas demum primarum viarum flatulentiae occaſionem praebet, de qua monui iam, poſſe eam hypochondriacam et hyſtericam paſſionem inferre (WHYTT l. c. p. 142.). Quodſi vero huius mali tam potens cauſſa exiſtat debilitas primarum viarum: non mirandum certe erit, quod curae animi, cerebri affectiones, meditationes profundiores, cibi porro viſcidi, fumo indurati, farinacea non fermentata, multum ingeſta, abuſus potulentorum calidorum et ſimilia, eiusdem mali cauſſae obſeruentur. II. *Defectus aut inertia liquidorum digerentium.* Hinc enim concoctio laeditur et viſcidum producitur. III. *Praeternaturalis ſtimulus primis viis applicatus*, v. g. vermes, cerebri irritationes ad ventriculum propagatae (§. VI.). IV. *Muci*, neruos ibi ſitos oblinientis, *aut nimia tenuitas*, *aut defectus* (§. VII.). Hinc aquae calidae nimium ingurgitatae effectus patet. V. *Vitia chronica, coctionem laedentia* (n. I.). Quorſum ſpaſmi frequentes, flatulentia, ſcirrhi et alia referri debent.

§. XII.

Ex pertractatis huc vſque colligi poteſt: I. *Cauſſam* mali hypochondriaci et hyſterici *proximam* conſiſtere in ea neruorum

et

et fibrarum muſcularium, primarum maxime viarum, conditione, qua ad faciliores et inordinatos motus apti redduntur (§. V.). II. *Cauſſas antecedentes* latere *modo* in mobilitate maiori praedictarum partium, *modo* in tenſione earum praeternaturali, certo in gradu contingente, *modo* in ſtimulo fortiori, iisdem conuenienter applicato, *modo* demum in defectu earum rerum, quae neruos fibrasque muſculares contra nimiam ſtimulorum vim atque potentiam defendunt (§. VI.). III. Cauſſas demum *praedisponentes* et *occasionales* ad eas reduci poſſe, quae §§. IX. X. XI. traditae ſunt, ita quidem, vt, pro diuerſitate ſubiectorum, modo praediſponentes ſint, modo occaſionales, prouti id in aliis quoque corporis aegritudinibus fieri poteſt.

§. XIII.

Intelligitur ex praedictis I. diuiſio in malum hypochondriacum et hyſtericum *cum materia* et *ſine materia*. Quod enim ex ſola generis neruoſi et muſcularis nimia oritur mobilitate, malum hypochondriacum et hyſtericum ſine materia vocatur, ab illo, quod cum materia dicitur, in eo diuerſum, quod hoc a vitio quodam fluidorum materiali, v. g. Plethora, ſpiſſitudine, oriatur (*vam* SWIETEN *Commentar.* Tom. III. pag. 91. 92.). II. Non poſſe hoc malum ab atra bile, vt BOERHAAVIVS vult, et a laeſionibus venae portarum ſyſtematis ſolum deduci, licet exinde originem ſumere queat. III. Quare adeo diuerſae conſtitutionis homines eo malo afficiantur, quod bene notauit TRALLES (Tract. *de Opio*, Sect. III. pag. 37. 38.). *Vidi viros lacertoſos*, inquit, *toroſos*, *robuſtos*, *nihilo minus hypochondriacos*;

vidi alios tenuioris corporis habitus, teneriori debiliorique solidorum omnium compage praeditos, malo hoc misere afflictos; vidi sanguine et succis plenos, aeque ac macilentos, eius tyrannidem expertos; vidi satis exercitatos mobilique viuendi generi addictos; vidi sedentariam et otiosam degentes vitam, perinde aegritudine hac odiosa laborantes.

§. XIV.

Vnica adhuc quaestio soluenda restat: Quare nempe infantes puerique et puellae malo hypochondriaco et hysterico magis immunes deprehendantur? Quod certe mirari posset, cum in ista quidem aetate sensilitas adeo magna et insignis etiam caussarum occasionalium, v. g. vermium, acidi in primis viis, muci tenacis &c. prouentus adsit. Soluere eam tentauit WHYTT (l. c. pag. 99.), nescio vero, an satis bene. *Man kann noch hinzusetzen*, inquit, *daß Kinder, ob sie gleich Zuckungen und andern Nervenkrankheiten sehr unterworfen sind, doch selten von dem hypochondrischen Uebel befallen werden, weil die Nerven des Magens und Gedärme bey ihnen nicht diejenige widernatürliche Empfindung haben, die gewöhnlich sich bey dieser Krankheit befindet* – . Verum alienata illa s. deprauata primarum viarum sensilitas auctae sensilitatis solet esse sequela (§. VII.), docetque obseruatio alias, sensibiliora subiecta facile labem hystericam et hypochondriacam concipere. Nondum ergo nodus solutus. Soluetur forsitan sic, vt assumatur, ipsam illam ad alios neruorum morbos procliuitatem, quam praesentem esse in infantibus experientia comprobat, delere quasi procliuitatem

ad

ad malum hypochondriacum et hyſtericum. Cauſſae enim epilepſiae, conuulſionum aliorumque morborum, quorum origo a neruis repeti debet, ſimiles ſunt mali hypochondriaci et hyſterici. Cum vero morbi iſti nihilo minus a ſe inuicem differant, cauſſae etiam diuerſae ſint neceſſe eſt. Sicque hac ipſa diuerſitate effici poteſt, vt, qui huic obnoxius eſt, alii minus ſuccumbat neruorum morbo.

SECTIO III.

DE ORTV SYMPTOMATVM MALI HYPOCHONDRIACI ET HYSTERICI.

§. XV.

Sunt eruditos inter, qui hypochondriaco ſe malo laborare vel aliis imponunt, vel ſibi imaginantur, credentes ſine dubio, non ſatis ſe ſapientes haberi poſſe, ni morbo ſapientum laborent. Qui vtinam per aliquod tempus vere tollendi mali effectus experiantur! Vna certe eſt ex miſerrimis chronicarum aegritudinum, cum non corpus ſolum, ſed et animam turbet, illudque multiplici ratione. Adeo etiam mirifica eius ſymptomata exiſtunt, vt fontes eorum praecipuos aperire non incongruum ſit et a noſtro fine remotum.

§. XVI.

In explicandis autem mali hypochondriaci et hyſterici ſymptomatibus attendi debent, quae tradam. I. Summum eſſe ventriculum inter reliquumque genus neruoſum conſenſum (WHYTT l. c. pag. 16. ſeqq.). Ne vllum fere datur neruorum vitium,

vitium, quod ab inflicta ventriculo labe proficiſci non poſſit. Epilepſiae, tetani, deliria, conuulſiones, dolores, paralyſes, vertigines, anxietates, catalepſis, ſyncope, vitia oculorum et aurium, atque innumera alia mala hinc profecta eſſe viſa ſunt. Cum omnia haec mala ideo determinentur, quod neruis ventriculi vitium imprimatur, ad reliquos neruos ſeſe extendens; malum vero hypochondriacum et hyſtericum affectis potiſſimum ventriculi neruis debeatur (§. V.): perſpicitur facile, quare enumerata neruorum vitia a malo hypochondriaco et hyſterico minime aliena eſſe inueniantur.

§. XVII.

II. Turbari eo malo primarum viarum actionem. Spaſmi enim, qui auctae harum partium ſenſilitatis frequentiſſimi ſunt comites, non ſolum dolores producunt, ſed peruertunt etiam coctionem ciborum, flatus generant, atque excretionem aluinam modo augent, modo minuunt, cum nauſeis, vomituritionibus, vomitibus ipſis et reiectionibus biliosae materiae, colicam biliosam, monente SYDENHAMO, non raro mentientibus; appetitum denique modo acuunt, modo obtundunt. Hos ſpaſmos ſequitur proportionata partium debilitas, quae non minus, quam ſpaſmus, multiplicibus damnis inferendis par eſt (§. X.), quibus omnibus efficitur, 1) vt maior cruditas chyli enaſci queat, acidum praecipue et mucoſum primis viis infeſtum, cum liquida digerentia non ſatis praeparari poſſint; 2) vt ſpaſmi, flatus, excrementa ſtagnantia non ſolum motum ſanguinis mirifice in vaſis abdominalibus turbent, ſed etiam congeſtiones humorum verſus

ſus alias partes producant; 3) vt, ob vtrumque, deſcripti neruorum morbi (§. anteced.), cum multiplicibus pulſuum mutationibus, inferri queant atque enaſci. Dici enim vix poteſt, quam frequenter morbi neruorum nociuae primarum viarum materiae debeant adſcribi; 4) malum hypochondriacum et hyſtericum ſui ipſius eſſe fontem; 5) demum a malo hypochondriaco et hyſterico infarctus et ſcirrhos viſcerum abdominalium, laeſiones fluxus menſium et haemorrhoidalis, turbationes excretionis vrinae et vitia varia ſanguinis oriri poſſe.

§. XVIII.

III. *Cauſſas mali hypochondriaci et hyſterici remotas ſatis eſſe diuerſas, ipſaque etiam ſubiecta, eo malo affecta, his illisue, ſaepe non ſatis determinandis et ſub idioſyncraſiae nomine comprehenſis, conditionibus a ſe inuicem recedere.* Pro vtriusque enim momenti diuerſitate ſymptomata mali hypochondriaci et hyſterici non ſolum diuerſa comparebunt, ſed fiet etiam, vt hoc illudue ſymptoma modo facilius, modo difficilius accedat. Qui v. g. a ſpiſſitudine humorum malum illud concipiunt, in melancholiam, ſcirrhos, icterum, excretionem aluinam langueſcentem &c. facilius incident. Sicque pro idioſyncraſiae quoque diuerſitate res quaedam a quibusdam non perferuntur, quas alii facile ferunt.

§. XIX.

Quamuis autem ex praedictis ſymptomatum mali hypochondriaci et hyſterici ortus generatim intelligi queat: Iuuabit tamen adhuc, ſingularibus quibusdam ſymptomatibus ex-

plicandis paullo diutius inhaerere. *Clauus hyſtericus* et *hypochondriacus*, quo cephalaeam ad verticem modo, modo ad tempora ortam, et a malo hypochondriaco et hyſterico prouenientem intelligunt, vnum eſt ex frequentiſſimis huius mali phaenomenis. Fuerunt, qui illum ex copia et magnitudine arteriarum, ad ea loca tendentium, apte explicari poſſe crediderunt, cum perſpectu facile ſit, raptum humorum ad illa maxime loca contingere, quibus aut magnae aut plures arteriae inſunt. Verum enim vero non ſatis attendunt, arterias cerebrum verſus tendentes longe adhuc copioſiores eſſe atque ampliores, cum tamen, quod ipſa experientia docet, iſta cephalalgiae ſpecies in exterioribus magis partibus producitur, ipſo encephalo immuni exiſtente. *Nonnunquam*, inquit SYDENHAMVS, qui nomen inuenit, *exteriorem capitis partem occupat, pericranium inter craniumque dolorem vix tolerabilem afferens – – haec ſpecies clauus hyſtericus mihi eſt.* Vid. EIVS *Opera omn.* p. m. 257. Ipſe Sydenhamus (qui malum hypochondriacum et hyſtericum generatim a ſpirituum animalium ἀταξίᾳ deducit, vnde, facto impetu in hanc illamue partem, plus quam pro rata denſi nimiique ferantur, ſpaſmos vti et dolores excitantes, vbi in partes ſenſu exquiſito praeditas irruant,) cauſſam claui hyſterici (l. m. c. p. m. 263.) ita tradit: *In eo*, inquit, *ſpiritus ab omni corporis ambitu in certo pericranii quaſi punctulo concentrantur, dolorem non minus perterebrantem, quam ſi clauus ferreus in caput vi adigeretur, accerſentes, vna cum inſigni materiae viridis euomitione. Quae quidem ſpirituum ab vniuerſo corpore quaſi in punctum contra-*

ctio

ctio non multum abludit ab ista radiorum solis collectione, quae fit ope vitri incensorii: Vtque hi vi vnita exurunt, ita et isti, ob eandem rationem, dolorem infligunt, membranas quasi discerpentes, lacerantesque iunctis viribus. Sed ingenue fateor, non intelligere me, quid optimus SYDENHAMVS ista spirituum in vnum quasi punctum contractione, designatum velit, cum, licet clauus hysstericus adsit, reliquae tamen partes non minus sensiles, ac antea, obseruantur. Neque etiam facile licebit, spiritus animales solis radiis substituere. Quodsi vero (vt fere assumere possumus) contractio illa spirituum animalium nil aliud sit, quam immoderata neruorum actio, qua harmonia partium sensilium tollitur: dolor inde quidem et clauus hysstericus oritur, vera tamen illius caussa nondum constat. Supersest, vt hanc determinemus. Censeo itaque, clauum hypochondriacum et hysstericum a consensu primarum viarum cum partibus ab eo affectis oriri, atque ita quidem, vt *modo* a certa materia, v. g. acri, sanguine &c. *modo* vero a sola primarum viarum affectione producatur. Cuius sententiae veritas patet, si consideretur, 1) istis hysstericis, quae chloroticae sunt, maxime eam esse familiarem, quod SYDENHAMVS notauit (l. m. c. pag. 257.); in his vero primarum viarum actio valdopere turbata inuenitur. 2) Praesente clauo hysterico maxima solere primarum viarum et infimi ventris incommoda adesse, v. g. ructus, nauseae, tormina ventris, alui adstrictio, vrina tenuis copiosa, vomitiones interdum enormes viridis materiae, quibus demum sensus motus cuiusdam, per dorsi spinam ascendentis, accedit. 3) Eo do-

lore

lore minus affici ſubiecta, quando primarum viarum incommoda minora exiſtunt. *Daß dieſe Kopfſchmerzen*, inquit WHYTT, *oft von einer Sympathie mit dem Magen herkommen, wird ſo wohl aus dem heftigen Brechen wahrſcheinlich, ſo ſich bisweilen bey dem* clauus hyſtericus *einfindet, als auch aus der Bemerkung, daß Leute, die ſonſt ſehr mit Blähungen im Magen, vnd ſolchen plötzlich kommenden und wieder verſchwindenden Kopfſchmerzen geplagt ſind, dieſe Schmerzen nicht ſo oft bekommen, wenn ſie von Blähungen frey ſind* (l. c. pag. 174.). Non poteſt ergo alia, quam praedicta, huius phaenomeni cauſſa aſſignari.

§. XX.

Conuulſiones, epilepſiae, catalepſis, deliria et ſimilia cerebri mala *modo* a materia, primis in viis latitante, v. gr. muco, bile; *modo* a raptu humorum verſus caput, a ſpaſmis infimi ventris enato, *modo* a cauſſa mali hypochondriaci et hyſterici remota, v. g. ſpiſſitudine, plethora, vermibus, ita oriuntur, vt magna neruorum in hypochondriacis et hyſtericis mobilitas tamquam praediſponens iſtorum malorum cauſſa, concurrat. Inſignis neruorum mobilitas, primarum viarum cruditates, congeſtiones demum verſus caput, *vertigines* producunt. Spaſmi, materia primis in viis latens, ſaepe etiam cauſſa mali hypochondriaci et hyſterici remota, neruorum demum alienata actio, quae certas res minus facile ferunt, *lipothymiam* procreant. Mobilitas generis neruoſi inſignis, a leuiori etiam cauſſa excitandi, non ſolum efficit, vt a leui quoque ſtimulo ſopitus mali hypochondriaci et hyſterici paroxyſmus recrudeſcat, ſed vt etiam res ſaepe percipian-

cipiantur, quae non adſunt, licet huc non minus faciat cruditas primarum viarum et congeſtio humorum, ſicuti ex ſuſurru et tinnitu aurium patet. Debilitati generis neruoſi, affectis primis viis et laeſae imaginationi, *meticuloſitas* hypochondriacorum debetur, et ad concipienda varia animi pathemata procliuitas. Sed ſufficiant haec de ſymptomatibus mali hypochondriaci et hyſterici dicta, cum, quae reſtant, partim ex iis, quae ſupra de alienata ſenſatione tradidi, explicari queant, partim a celeberr. WHYTT ad ſuas reuocata ſint rationes, partim etiam ſimili, ac praecedentia, modo concipi debeant. Id vero ex diſputatis, et obſeruationibus, quas WHYTT ſuppeditauit, luculentiſſime apparere credo, mali hypochondriaci et hyſterici ſymptomata neruis maxime et primis viis affectis deberi, quo ipſo confirmantur, quae Sectione prima de vera illius mali ſede eiusdemque natura adducta ſunt.

SECTIO IV.

CONSECTARIA QVAEDAM PRACTICA.

§. XXI.

Addam his practica nonnulla momenta, quae ſponte ex diſputatis ſequuntur et intelligi poſſunt.

I. *Rationalis mali hypochondriaci et hyſterici curatio variam medendi methodum efflagitat.* In tanto enim illarum cauſſarum, quae iſti malo producendo pares ſunt, diſcrimine, vna certe eademque methodus vtilis eſſe nequit.

II. *Egregie errant, qui in quocumque malo hypochondriaco et hysterico resoluentia suadent, exhibent.* Cum scilicet nimia humorum tenuitas eam passionem inducat non solum, sed frequentius forsitan, quam humorum spissitudo: sequitur, soluentia, potentiora potissimum, non semper posse conducere.

III. *Inconueniens saepe videtur esse ea hypochondriaco malo medendi methodus, qua haemorrhoides promouentur.* Namque 1) datur sine dubio malum hypochondriacum, quod moliminibus haemorrhoidalibus minime debetur; quo in casu methodus praedicta omnino esset inconueniens. 2) Cum fluxus haemorrhoidalis eiusmodi sit haemorrhagia, quae non solum variis incommodis stipata est, sed quoque leui saepe ex caussa suppressa, innumera mala producit: illo in casu, vbi haemorrhoides iuuare posse praeuidemus, cauti in iis promouendis simus necesse est. Cum imprimis 3) multis in casibus per alia conuenientia remedia eadem commoda impetrari possint. Haemorrhoidum enim vtilitas fere in euacuatione et reuulsione sanguinis a visceribus abdominalibus consistit. Vterque autem effectus venaesectione, plantarum resoluentium vsu, aptoque viuendi genere produci potest. Quando interea 4) fluxui haemorrhoidali iam adsuetum est subiectum hypochondriacum, et ab eo non rite succedente suam malum hypochondriacum originem sumsit, tunc videtur recte promoueri posse, cum eo in casu facilioris sanationis nulla spes adsit. Conferri merentur de fluxu haemorrhoidali *Illustris de* HAEN *Thes. patholog. de Haemorrhoidibus.*

IV.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372174264/30 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

IV. *Correctio primarum viarum, in curando malo hypochondriaco et hysterico, vtramque facit paginam* (§. X.).

V. *Opiata, cum cortice coniuncta, optima quidem sunt, quando a sola neruorum mobilitate malum hypochondriacum et hystericum oritur, non nimis tamen his fidendum*, cum 1) male primas vias afficiant; 2) causas quasdam mali hypochondriaci et hysterici augeant; 3) temporarium saepe tantum lenimen afferant.

VI. *Si quae remedia vniuersalia dici possunt in hoc malo: certe erunt plantae amarae, quarum virtus antispastica et roborans insignis est.* Corrigunt enim neruorum vitia, ventriculi neruis amicae sunt, partibus debilitatis robur restituunt. Antispastica praeterea sua virtute fontem plurimorum malorum occludunt. Confer. *Illustr. et Vener.* BÜCHNERI *Dissert. de Plantarum amararum insigni virtute medica.* Hal. 1748.

VII. *Vomitoria et purgantia in malo hypochondriaco et hysterico sine materia vitanda sunt: leniora tamen conducunt, quando ob nimiam aut ventriculi aut intestinorum cruditatem vel ipsum excitatur, vel vrgentiori symptomate stipatur, nisi hoc ipsum ita comparatum sit, vt vtriusque remedii vsum interdicat.*

VIII. *Martialia non semper bene adhibentur.* Conducunt roborante sua virtute, nocent vero, quando spissi humores adsunt et vlcera in partibus internis, a quibus non semper immunes sunt hypochondriaci et hystericae.

IX.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372174264/31 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

IX. *Balnea roborantia, vel etiam relaxantia*, illa, tollendo debilitatem et mobilitatem neruorum, haec, ſpaſmos et tenſiones neruorum minuendo, *non paruae erunt hic vtilitatis.*

§. XXII.

Sic itaque, pro inſtituti ratione, de malo hypochondriaco et hyſterico dixi, ideo maxime eius ortum explicandum mihi ſumens, vt actionem cauſſarum remotarum determinarem. Nec potui ergo, nec debui omnia huius mali momenta tractare.

TANTVM.

ERRATA.

Pag. 9. §. II. pro vertigius, lege vertigines.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372174264/32 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG